



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et
Mi-||racvlis Clari, Opera**

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

Vt in summa vnitate poßit esse personarum diuersitas. Capvt III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

*Vt in summa vnitae possit esse personarum
diuersitas.*

CAPVT III.

Discipulus hunc in modum interrogauit: Equidem admiror, vnde eueniat illa appellationum diuersitas quae dicitur tribui, si tam est simplex in seipso: Alius sapientiam, alius bonitatem, alius aliud quippiam assignat, vt nobis tradunt Theologi in Symbolo de diuina Trinitate confecto. Cur non potius patimur eum esse in simplicitate sua, in qua tamen est? Mihi sic videtur, vnde huic vni plus satis actionum & diuersitatis attribui. Nam qui possit esse simpliciter vnus, cui tanta inest multiplicitas?

VERITAS respondit: Omnis haec multiplicitas in ipso fundo non nisi simplex vnitas est. **DISC.** Ecquid tu fundum vel originem appellas? **VER.** Fundum ego dico originem, vnde emanationes proficiunt. **DISCIP.** Quid est hoc Domine? **VER.** Ipsa est natura & essentia diuinitatis: atque in hac inexhausta abyssu personarum Trinitas redigitur in vnitatem suam, & omnis multiplicitas quodam modo illic deficit: vbi etiam iuxta hunc modum nulla est extranea actio, sed tranquilla quaedam & introuersa caligo. **DISC.** Dic, obsecro, mi Domine, quae diuina emanationis sit prima origo, & maximè propriae illius actionis suae, quae est communicare sese. **VER.** Nimirum facultas & omnipotens virtus eius.

DISC.

DISC. Et que illa? VER. Diuina natura, in qua pater est existendi principium: qui hoc ipso fecundus est generationis & operationis. Si quidem nostro more loquendo, quatenus nos scilicet capit intellectus, Diuinitas hinc in DEVM profluit. DISC. Non ergo sunt vnum Deitas & DEVS? VER. Vtique vnum sunt, sed tamen Diuinitas nec generat nec operatur, DEVS autem & agit & gignit. Id quod ex personarum diuersitate accidit, quas intellectus utcumque distinguit. In ipso autem fundo vnum sunt. In diuina namque natura non nisi essentia est, & relationes personarum nihil ad hanc essentiã adiungunt: sed ipsæ eadem sunt essentia, licet inter se distinguantur propter relationem alterius ad alteram. Nam diuina natura si secundum idem fundum suum accipiat, non est in seipsa simplicior, quam Pater vel quæuis alia persona in eadem natura accepta. Solum imaginatio te fallit, qua sic hæc inuenis, ut sunt in creaturis. In seipsa autem non nisi vnica & simplex est diuinitas. DISC. Equidem animadverto me iam in summe simplicitatis abyssum peruenisse, vltra quam penetrare latius nemo potest, qui tamen à veritate aberrare nolit.

Deitas & Deus quomodo sint vnum, & quo differat.

Personæ diuinæ quo distinguantur.

homo & creatura omnes in Deo ab aeterno secundum ideas fuerint, & ut ex Deo per creationem proflexerint, in quem redire deberent.

CAPVT IV.

DISCIP. Vellem scire Domine, ut creaturæ in DEO ex omni aeternitate fuerint.

S VER.